



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Disp. XLII. An lumen gloriæ necessarium ad videndum Deum sit habitus,
vel operatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

norem huius, aut illi intellectui infundi, ut ipse infundere videretur. Hoc autem, præterquam quod falsum esse ostendimus in 2. q. 3. art. 2. ubi probavimus, nullam operationem vitæ, præsertim cognitionis, aut volitionis à solo Deo produci posse: doctrinæ ipsius Durandi non facit consonat. Docet enim visionem Dei effici ab intellectu nostro, imò ab eo naturali virtute procedere: ablato solum gratiæ Dei impedimento, ut explicatum est: nisi etiam dicat, Deum à beatis duabus visionibus videri, altera à solo Deo infusa, & in hac beatos esse inæquales: altera elicit ab intellectu nativæ suæ efficacia. Hinc tamen idem absurdum sequitur, quod supra inferebamus, nempe eum, qui perfectiore intellectu præditus est, etiam si minora, paucioraque merita habeat, clarius videre Deum, atque ea parte magis beari. Accedit, quod frivolum est asserere duas visiones in intellectu beati esse: frustra igitur recusat Durandus concedere, intellectum creatum indigere elevatione aliqua supernaturali, qua corroboratus, Deum videre valeat, sicut definitum plane esse ab Ecclesia prædiximus.

Ex qua sane definitione, non tam aperte confutari, & erroris insinulari potest (ut recentiores aliqui contendunt) opinio eorum, qui dicunt, visionem claræ Dei, à solo Deo productam intellectui cuiusque beati infundi, quam sententia Durandi. Hic enim, cum dicat solum necessariam esse ad videndum Deum remotionem impedimenti, postea vero naturali virtute intellectus Deum videri, nullo modo dicere potest, lumen gloriæ, seu elevationem facultatis intelligentis necessariam esse, ad ipsum Deum clare intendum. Illi vero falsum asserunt necessariam esse elevationem intellectus lumine gloriæ, & qualitate supernaturali, ut visionem recipiat, ad quem solum effectum aliqui Theologi asseverant, lumen gloriæ esse necessarium; cum tamen asserant, visionem ita effici ab intellectu, ut à solo Deo produci nequeat, ut sequenti disp. videbimus. Vel certe dicere possent ipsam visionem à solo Deo beatis infusam esse lumen supernaturale, quia est obiecti manifestatio, & ea elevari intellectum, ut Deum videat, quia à solo Deo supra propriam suam virtutem, & efficaciam eam recipit. Ergo de fide solum habemus certum, necessariam esse aliquam elevationem ad videndum Deum; an vero ad elicendam visionem vel recipiendam, vel potius sit ipsa visio, non est definitum. Tum etiam neque certum de fide est, an lumen gloriæ, quod ad elevandum intellectum definit Concilium Viennense, sit habitus aliquis, vel solum actus, ut sequenti disp. videbimus.

DISPUTATIO XLII.

Utrum lumen gloriæ necessarium ad videndum Deum sit habitus, an operatio.

Sententia communis Scholasticorum, cap. 1.

Quid in hac re ab Ecclesia definitum sit, cap. 2.

CAPVT I.

Sententia communis Scholasticorum.

In dubitatum Scholasticis est, lumen gloriæ, quod ad intendum Deum ex parte intellectus necessario requiritur, esse habitum quandam, & qualiter ab ipsa visione diversum. Id tradunt cum S. Thomas in 3. dist. 14. art. 1. quæst. 3. ad ultimum; Bonaventura in 3. dist. 14. art. 1. quæst. 3. ad ultimum; Valquez in 1. part. Tomus 1.

mum, & art. 2. quæst. 1. ad 3. Maior eadem d. quæst. 2. Richardus art. 1. q. 3. & in 4. dist. 4. art. 1. quæst. 2. Capreolus in eam dist. 49. q. 4. art. 1. Thomas de Argentina q. 2. art. 1. Scotus q. 2. art. 1. Gabriel in 1. dist. 2. q. 2. art. 3. Massilius in 1. q. 10. art. 2. 1. part. art. conclus. 2. & dubio incidenti opinione 4. concl. 1. Henricus quodlib. 3. quæst. 1. Ferraricus 3. contra gentes cap. 53. & 54. tamen non omnes ad eundem effectum huiusmodi lumen gloriæ habituale concedant.

Vnus est Scotus, qui de habitu luminis gloriæ nihil pronunciat: nam in 3. dist. 14. quæst. 2. §. in prima questione, asserit, si sequamur opinionem asserentium, visionem effici à solo Deo; intellectum vero nostrum solum eam reperire; non esse necessarium talem habitum: Si tamen visio procedat ab intellectu, ut ab efficiente, necessarium esse, ut cum intellectu sit principium visionis, quoadmodum in 3. dist. 13. q. 1. Ad quartam questionem, de amore, & fruitione docuerat. Hoc ipsum affirmat in 4. d. 49. q. 11. §. Respondeo ergo: sed tandem in id videtur magis inclinare, ut existimet, visionem à solo Deo produci, sicut sentit in 3. d. 1. q. 1. §. Respondeo. & Gabriel eadem dist. q. 1. art. 3. dubitatione 1. Mitto etiam Durandum, qui cum asserat, sufficere naturalem vim intellectus ad videndum Deum remoto extrinseco impedimento, censet prout nulla ratione necessarium esse aliquem habitum luminis, imò nec illustrationem aliquam, quam dicunt actuale: huius enim sententiam iam præcedenti disput. diximus esse falsam, & erroris nota dignam.

Potio non solum falsa est sententia, quæ asserit, visionem à solo Deo produci, ut in 1. 2. q. 3. art. 2. demonstrabimus; verum etiam id, quod necessario colligitur, videlicet non dari intellectui nostro ad videndum Deum habitum luminis, cum communis Scholasticorum sententia ex falso etiam fundamento aduerteretur. An vero sit contra definitionem Concilii Viennensis sequenti c. dicemus.

Demum probabile non est id, quod Gabriel in 1. loco allegato, & Cardinalis Zabarella in illam Clementinam affirmant, nempe eundem habitum esse luminis gloriæ, & caritatis: sicut etiam existimant, eandem esse facultatem intellectus, & voluntatis. Nam tamen facultas intellectus, & voluntatis esset eadem secundum rem, ex qua diversæ operationes amandi, & intelligendi provenirent, eo quod intellectus, & voluntas essent communia earum operationum principia, nihilominus proxima, & peculiaris, quales sunt habitus, omnino distincta secundum rem esse debent, quoties eorum operationes sunt diversæ: huiusmodi sunt habitus caritatis, & luminis gloriæ: quare necesse est eos distinguere secundum rem: id quod cæteri omnes Scholastici asseverant.

CAPVT II.

Quid in hac re ab Ecclesia definitum sit.

Nonnulli Scholastici non solum existimant intellectum Beatorum habitu & qualitate luminis gloriæ distinctum ab ipsa visione præditum esse, verum etiam hoc esse de fide certum, & in illa Clementina definitum, constanter affirmant. Ita sentierunt Capreolus in 4. d. 9. q. 4. art. 3. in solutione argumentorum Scoti, quæ quinto loco adducta sunt contra secundam conclusionem, Caietanus in hunc artic. ad 4. argumentum Scoti, Ferraricus in 4. contra gentes cap. 54. Thomas de Argentina in 4. d. 49.

Maior.
Richard.
Capreol.
Argentin.
Scotus.
Gab.
Massil.
Henric.
Ferrar.

Quid senserit Scotus de hac re.

Gabriel.

Gabriel.
Zabarella.
Luminis gloriæ & caritatis habitus non sunt eadem.

Lumen gloriæ qualitas rem esse distinctam à visione Dei multi existunt definitum.

Capreol.
Caietan.
Ferrar.
Argentin.

Suppl. Gab.

d. 49. quæst. 2. art. 1. conclusio 2. Supplementum Gabriels
quæst. 2. art. 3. dubitatione 2. tamen puer hunc habi-
tum luminis non esse ab habitu caritatis dixer-
unt, ut idem Gabriel iam citatus in 3. sentent. do-
cuerat. Cum his denique facit Marfilus loco cita-
to in precedenti capite. Quocirca Caiet. senten-
tiam Scoti, qui videtur tub quadam conditione
negare habitum luminis gloriæ, ut cap. i. vidimus,
putat esse damnatam.

Fundamen-
tum huius
sententiæ.

Probant vero hanc sententiam idem Caietanus,
Ferrariensis, & Sotus, quoniam Concilium Viennense
in prædicta Clementina videtur diremisse con-
trouersiam, quæ inter Scholasticos antea verfabatur:
hæc autem erat de habitu luminis gloriæ: ergo
definitio Concilij de illo debet intelligi: sicut etiam
in eodem Concilio definitum esse videtur (inquit
Sotus) paruulis in baptismo infundi gratiæ, &
virtutum habitus, de quo etiam tunc varia erant
Theologorum placita.

Sententiæ
auctoris.

Ego vero recentiorum Theologorum commu-
nem opinionem veritiorem censeo, qui docent in
ea Clementina non esse quiddam de habitu lu-
minis gloriæ definitum, id quod nonnulli putant
Dominicum Sotum sensisse: sed reuera nihil aliud
ipse asserit, quam opinionem hanc recentioribus
Theologis magis probari. ex auctoribus vero in
precedenti citatis nullus est alius, qui huius rei
mentionem faciat: solum docent hunc habitum
luminis gloriæ mentibus Beatorum infundi: an
vero sit ita in Ecclesia definitum, nec affirmant,
neque negant. Sotus est Scotus, qui eam probabi-
le existimet, imo multo verius, lumen gloriæ non
esse necessarium, si visio à solo Deo producitur, as-
serere quoque debet non esse certum de fide ta-
lem habitum infundi.

Nihil de ha-
bitu luminis
gloriæ esse
definitum.

Ceterum nihil Concilium definisse probatur,
quoniam id solum dammare, oppositumque defi-
nire voluit, quod Beguardi & Beguinæ dicebant:
illi autem soli errabant, quod assererent Deum si-
ne vlla alia ope, & auxilio, vi solum intellectus hu-
mani videri posse: ergo nihil aliud definire voluit,
quam quod intellectus creatus virtute sua id non
valeat: ac proinde indigeat peculiari auxilio Dei,
quo ad tale munus eleuetur. An vero id per habitum,
vel solum peculiari Dei concursu supplente vicem
illius fieri possit, non curat Concilium. Porro
optime posse intellectum à Deo eleuari sine habi-
tu solo peculiari concursu, & auxilio disp. 46. de-
monstrabimus. Nec minus ab errore Beguinarum
& Beguardorum distat, qui docent visionem cla-
ram Dei ab ipso solo produci, & in intellectu nihil
ad ipsam operante recipi. Hi enim non solum non
dicunt virtute propria intellectus Deum à Beatis
videri, sed etiam, dum asserunt visionem à solo
Deo produci, optime quoque affirmare possunt
intellectum lumine diuino ad videndum Deum
eleuari, non quidem ad eliciendam visionem, quasi
lumen ab ipsa visione sit aliquid diuersum, & prin-
cipium illius, sed quia ipsamet visio est illustratio,
& illuminatio quædam: eumque illa à Deo solo
producat sine vlla intellectus cooperatione,
vel concurrente simul intellectu sine habitu; sic,
ut optime dicatur eleuari, ut Deum videat, vel
ad videndum Deum peculiari Dei lumine, seu
illustratione indigere. Scilicet igitur Durandus con-
tra definitionem Clementinæ docuisse videtur,
cum asseruit, virtute propria solo extrinseco im-
pedimento sublato, intellectum nostrum posse

Deum clare intueri, ut iam supra notatum est.

Ex his quæ dicta sunt respondetur ad argumen-
tum prioris sententiæ: neque enim Ecclesia diri-
mere voluit Scholasticorum controuersiam de ha-
bitu luminis gloriæ, cum huius nunquam fecerit
mentionem; sed damnare errorem Beguardorum,
& Beguinarum, quem inter alios eorundem retu-
lerat: ad hoc autem sufficit, si definitur ab intellectu
humano propria ipsius virtute Deum videri non
posse, nisi aliquo lumine, vel habitu, vel actus
eleuetur. Neque vero de habitibus infusis virtu-
tum quiddam definiuit ibi Concilium: quinimo
in cap. Maiores, de Baptismo, & eius effectu Inno-
centius tertius testatur de ea adhuc inter Scho-
lasticos esse controuersiam: & in Clementina vnica
de summa Trinitate, & fide Catholica in eodem Con-
cilio Viennensi, ut probabilior solum referretur sen-
tentia, quæ asserit in Baptismo infundi habitus. An
vero in pueris baptizatis, & ijs, qui ex opere ope-
rato in Sacramento iustificantur, certum sit, & de
fide, dari habitum aliquem gratiæ, vel caritatis, li-
cet non omnium virtutum etiam Theologica-
rum, dicemus in 1. 2. quæst. 113. art. 2.

Ceterum nonnulli Scholastici secuti Capreo-
lum contendunt ex Scriptura colligere habitum
luminis ad videndum Deum. Primum ex illo Psal.
35. Quoniam apud te est fons vite, & in lumine tuo videbi-
mus lumen. Verum inde nihil probari potest: si enim
sequamur expositionem quorundam, qui dicunt lu-
mine ibi fauorem significari, iuxta illud Psal. 4. Si-
gnatum est super nos lumen vultus tui Domine, hoc est,
ostendisti nobis vultum hilarem; sensus erit, in tuo
lumine, hoc est, fauore, videbimus lumen, hoc est,
prosperitatem, quæ lucis nomine in Scriptura etiam
significatur. Sed si communiori expositionem se-
quamur, quæ illud intelligit de visione Dei in aliâ
vita, non opus est per lumen intelligamus habitum
distinctum ab ipsa visione, sed ipsa etiam visio, lu-
men, & illustratio recte vocari potest. Nam apud
sanctos Patres, & Scripturâ cogitatio dicitur quæ-
dâ illustratio mentis, quia ea aliquid fit manifestum.

Deinde probant idem ex illo: Cuius illa non eget
Sole, & Luna, sed claritas Dei illuminabit illam. Verum
ego nescio, qua ratione inde habitum colligere li-
ceat. Nam, ut modo dicebamus, ipsa quoque visio,
illustratio, & lumen recte appellatur. Dicitur au-
tem claritas Dei, quia est donum ipsius, quam ab
eius lumine inaccessiblei veluti mutuum lumen
accipimus.

Ratio igitur potissima, ob quam dicendum est,
infundi habitum luminis ad videndum Deum præ-
ter auctoritatem Scholasticorum, hæc est: ut intel-
lectus videns Deum in se habeat formam perma-
nentem, quæ per modum secundæ causæ connatu-
raliter operetur; nam licet solo auxilio Dei posset,
ut disput. 46. dicemus, ille tamen modus operandi
potius esset velati instrumenti, non connaturalis.
Melius ergo est asserere habitum luminis gloriæ
intellectibus beatorum infundi, ut eo roborati vi-
sionem Dei connaturaliter per modum secundæ
causæ in seipsis operentur.

DISPUTATIO XLIII.

Quem habeat effectum in mentibus
Beatorum lumen gloriæ.

Opinio Richardi, & aliorum, cap. 1.

Quid Capreolus, & alij Thomistæ senserint, cap. 2.

Ostenditur contra Capreolum habitum luminis glo-
riæSoluitur ra-
tio prima
sententiæ.

Innocen. 3.

Obijciunt ex
Scriptura
&
Psalm. 35.Explicatur
locus Esaiæ
Psalm. 44.Apocal. 22.
Secundo obij-
ciunt locum
Apocal. 22.
Solutio.Fundamen-
tum potissi-
mum ad pro-
bandum ha-
bitum lumi-
nis infundi.